

P R A E F A T I O.

Quamvis varia sint Theologi περιειρημένως officia, in duobus tamen praecipue operam ejus collocat divinus Gentium Doctor, Paulus. Quae nempe de populo Dei, urbem & templum restaurante Nehem. IV, 17. 18. relata legimus, ea in quovis Doctore & Ministro Ecclesiae requirit, ac omni jure illos decere docet, ut una manu gladium Spiritus teneant, altera vero civitatem Dei aedificent. Sic omnino illos facere jubet, quando ἐλέγχειν illis καὶ Πιστοποιεῖν τὰς ἀνιλέγοντας imponit & potentiam simul exhortandi in doctrina sana ab iisdem exposcit Tit. I, 9. 11. Adeo certe omnibus iis, qui vineam Domini plantant, competere tradit, quod bonis semper hortulanis solemne est, ut dicto hoc ad morem eorum, non plantare solum, quae bonae frugi sunt, sed noxias quoque & venenatas herbas evellere mandet. Speciatim vero Timotheo suo, germano in fide filio, quam fieri potest, diligentissime istud injungit, & cum ὑποτύπωσιν illi sanorum verborum probe instar thesauri custodiendam & animas ea confirmandas dederit, ut redarguat eos, qui sanae doctrinae resistunt, ἐλέγξον inquit II. Tim. IV, 2. ac inter plurimos Sacrae Scripturae usus ἐλέγξον ponit vel redargutionem II. Tim. III, 16. Quid? quod ipso hoc capite mores eorum & vitia, quos refutandos haberet, graphice quasi illi depingit, utque instructior magis ad eos e latebris extrahendos evadat, vitam prorsus effigiem sistit. Quam ut mente & oculis perspiciamus, sextum in primis comma altiori indagine dignum & perelegans visum est ei, qui doctor mihi & auctor certissimus semper fuit. Hujus ex ore & mente consilium cepit animus meus arctius paulo